Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

eius a morte et operit multitudinem peccatorum.
In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Quis vestrum habebit amicum. et ibit
ad illum media nocte. et dicet illi. Amice commoda michi
tres panes. quoniam amicus meus venit de via ad me. et non habeo
quod ponam ante illum. Et ille deintus respondens dicat.
Noli michi molestus esse iam ostium clausum est et pueri mei mecum
sunt in cubili. non possum surgere et dare tibi. Et ille si perseuera
uerit pulsans. dico uobis. et si non dabit illi surgens eo quod a
micus eius sit. propter improbitatem eius tamen surget. et dabit il
li quot quot habet necessarios. Et ego uobis dico. Petite et da
bitur uobis. querite et inuenietis. pulsate et aperietur uobis.
Omnis enim qui petit accipit. et qui querit inuenit. et pul
santi aperietur. Quis autem ex uobis patrem petit panem. numquid
lapidem dabit illi? Aut piscem. numquid pro pisce serpentem
dabit illi? Aut si petierit ouum. numquid porriget illi scor
pionem. Si ergo uos cum sitis mali nostis bona data dare fi
liis uestris. quanto magis pater uester de celo dabit spiritum bonum
petentibus se. In vigilia ascensionis ad ephesios
Fratres. Unicuique uestrum data est gratia. secundum mensuram do
nationis Christi. Propter quod dicit. Ascendens in altum
captiuam duxit captiuitatem. dedit dona hominibus. Quod
autem ascendit. quid est. nisi quia et descendit primum in in
feriores partes terre? Qui descendit. ipse est et qui ascendit
super omnes celos. ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quos
dam quidem apostolos. alios autem prophetas. alios uero euangelis
tas. alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum
in opus ministerii. in edificationem corporis Christi. donec occur
ramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii dei.